

LUCII AMPELII LIBER MEMORIALIS

LUCIUS AMPELIUS MACRINO SUO SAL.

ol. 1^r

Volenti tibi omnia nosse scripsi hunc librum memorialem, ut noris quid sit mundus, quid elementa, quid orbis terrarum ferat, vel quid genus humanum peregerit.

1. De mundo

Mundus est universitas rerum, in quo omnia sunt et extra quem nihil; qui Graece dicitur cosmos.

Elementa mundi quattuor: ignis ex quo est caelum, aqua ex qua mare Oceanum, aer ex quo venti et tempestates, terra quam propter formam eius orbem terrarum appellamus.

Caeli regiones sunt quattuor: oriens occidens meridies septentrio.

Caelum dividitur in circulos quinque: arcticum et antarcticum, qui ob nimiam vim frigoris inhabitabiles sunt; aequinoctialem cui <quae> subiacet regio catacecaumene dicitur neque incolitur ob nimiam vim ar-